



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Nicolai Mazzotta theologia moralis

omnem rem moralem absolutissime complectens

Mazzotta, Nicolò

Augustae Vindelicorum & Cracoviae, 1756

§. III. Quid de interrogationibus Pœnitenti à Confessario faciendis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41004

non tenetur, sed sufficit, si sciat communiter, quæ sint mortalia, quæ venialia, ut possit debitam pœnitentiam, & remedia prudenter humano modo injungere; sic enim virtualiter fert iudicium eo modo, quo ea potuit cognoscere: Bon. Tamb. & alii.

Hinc, si post datam in tali casu absolutionem Confessarius, vel Pœnitens, re melius considerata, advertat, esse veniale, quod absolutum fuit, ut mortale, ad nihil tenetur; si advertat esse mortale, quod absolutum fuit ut veniale, tunc, si Confessarius poterat illud mortale absolvere, ad nihil etiam tenetur; quia fuit directe absolutum; si vero non poterat absolvere, utpote reservatum. &c. tenetur pœnitens illud iterum confiteri, ut absolvetur directe; ut & Confessarius eum monere de hoc debet, juxta infra dicenda. Cæterum, si pœnitens confitendo asserat casum difficilem, quem Confessarius nequeat hic & nunc resolvere, potest primo Confessarius adjuvari ab ipsomet pœnitente, si is satis pius, & doctus sit, cujus iudicio stare possit; præsertim quando casus est de professione, quam pœnitens peritus exercet, ut si sit peritus mercator, poterit Confessarius ei fidem dare dicenti v. g. talem contractum non continere usuram, &c. Secundo, Potest differre absolutionem, donec libros consulat, vel doctiores interroget de casu tacita persona, quod sit præsertim in casibus pertinentibus ad jus: Tertio, Si agatur de restitutione, satisfactione partis, &c. poterit etiam tunc absolvere, si pœnitens promittat, se facturum quidquid deinde iudicatum fuerit: Bonac. & alii.

§. III.

Quid de interrogationibus Pœnitenti à Confessario faciendis?

Dico primo: Confessarius non tenetur interrogare pœnitentem, si sciat, eum bene nosse quid requiratur ad validam confessionem: Doctores communiter. Ratio est, quia obligatio Confessarii ad interrogandum succedit ad defectum pœnitentis: ergo, &c. Hinc pœnitentes, qui prudenter existimantur docti, ut Religiosi, Sacerdotes, alique in Theologia versati, non sunt facile interrogandi, nisi manifestum sit omitti, vel non

facile discerni aliquod necessarium. Imo, si vir doctus in aliis peccatis addat circumstantias, numerum, &c. & in uno aliquo hæc omittat, præsumi potest, quod in ejus commissione, vel non advertit ad tales circumstantias, vel non apprehenderit ut mortale.

Dico secundo: Confessarius tenetur interrogare penitentem, si advertat, eum deficere in integritate confessionis, aut ignorare, quid requiratur ad ejus valorem, &c. Doctores cum D. Th. contra Med. Sot. Henr. Vasq. & alios putantes, non teneri interrogare eum, qui se examinavit, nisi quando cederet in detrimentum tertii. Ratio communis sententiæ est, quia Confessarius, ut Judex, cognoscere debet causam penitentis secundum omnia mortalia, numerum, species, & circumstantias mutantem speciem, quæ penitens tenetur ei dicere, ejusque sententiæ submittere: ergo, si advertat penitentem in his deficere, tenetur interrogare, etiam si penitens sit Princeps, Imperator, &c. Similiter tenetur interrogare peccata omissionis spectato statu penitentis, si advertat, eum ad hæc non animadvertere; & similiter interrogare tenetur, si advertat, eum deficere in dolore, &c. ideoque etiam penitentem sæpe lapsum post ultimam confessionem tenetur interrogare de consuetudine præterita, occasione proxima, &c. juxta dicta d. i. q. 4. Cæterum pro praxi fit hæc regula: Confessarius non tenetur exactius interrogare, quam teneatur penitens se examinare. Hinc

Infers primo, Confessarium post moralem diligentiam in interrogando non teneri amplius interrogare, etiam si putet, quod, si plus interrogaret, plus nosceret, aut distinctius intelligeret tale peccatum; ideoque non expedit minutissimis interrogationibus torquere penitentem, sed humano modo, quamvis omittenda sit aliqua differentia, aut numerus alias aperiendus: Tamb. & alii.

Infers secundo, Non teneri, nisi leviter interrogare, si timeat, vel sibi, vel penitenti aliquod periculum peccati exactius examinando; quia præceptum integritatis materialis non obligat, si impleri non possit sine periculo, scandalo, aut gravi molestia. Hinc caute procedendum in peccatis præsertim carnalibus, ut non instruat penitentem ad peccandum, ut inquit D. Thom. ne Confessarius ipse, maxime si juvenis sit, scandalum pariat, vel de seipso suspicionem faciat, ut ait Gob.
Quare,

Quare, si spectatis omnibus prudenter judicet Confessarius interrogandum de peccatis carnalibus, utatur formulis, quoad fieri potest, honestis, & primo interroget de verbis; si pœnitens neget, & sit puer, vel puella, plerumque non opus est ulterius procedere. Si affirmet, interroga, quo sine hæc dixerit, & si fateatur finem pravum, interroga, quid inde fecerit, & sic deinceps procedendo ad opera: si enim non sic interrogentur pueri, sæpe tacebunt. Sæpe etiam homines rudes interrogandi sunt de cogitationibus pravis, quia plerumque putant, quod non sint peccata. At non facile interrogas conjuges de debito conjugali: sed, si prudenter suspicaris, quod illud denegent, quære, an inter se sint unanimes, & si rei sint, facile erumpent.

Infers tertio, Interrogationem debere esse discretam, spectato statu, sexu, ætate, qualitate, natura, & viribus pœnitentis: ideoque minus interrogandus est æger, quam sanus, ne nimium fatigetur; magis rusticus, quam civis, quia rudiores minus sciunt confiteri; magis qui è longo tempore, quam qui brevi non est confessus; magis qui plura peccata, quam qui pauciora solet afferre, quia hic facilius recordatur. Sæpe etiam ex circumstantiis personæ oritur motivum interrogandi, ut si homo alias innocens dicat, se habuisse delectationem morosam, est interrogandus, an voluntariam, an cum plena advertentia; secus vero, si assuetus sit rebus venereis. Denique complicum nomina nullatenus requirat, ne sub prætextu quidem, quod velit, aut possit eis prodesse.

Infers quarto, Pœnitentem rudiolem ordinarie interrogandum, an sciat articulos fidei, quando ultimo sit confessus, an aliquid tunc omiserit, an tunc doluerit, an pœnitentiam expleverit, & an sit ligatus matrimonio: si incidat dubium, an prior Confessarius satis illum examinaverit, præsume satis examinatum, nisi clare deprehendas oppositum, quia præsumi debet officium suum bene explevisse: Gob. t. 7. n. 321. An autem possit Confessarius supplere defectum pœnitentis, qui nihil se examinavit, dictum est d. 1. q. 2. c. 1. ubi id fieri tantum posse diximus, cum pœnitens est ita rudis, ut nequeat seipsum examinare.

Infers demum, Confessarium teneri interrogare pœnitentem tacentem mortale, quod clare commisit, dummodo

modo advertat, tale silentium oriri ex malo examine, aut verecundia. At quid, si ille interrogatus neget? Dico, si Confessarius scit illud peccatum ex aliorum relatione, potest dissimulare, & absolvere, quia in tali casu pœnitentis potius dicto stare tenetur, cum non sit major ratio credendi aliis; si vero ipsemet Confessarius illud vidit; tunc, si non constat, eum scienter, & deliberate peccasse, nec alias confessum fuisse, nec habere causam rationabilem negandi, potest etiam absolvere, quia in dubio quilibet debet præsumi bonus, atque ideo recte dispositus, nisi contrarium clare constet: si vero Confessarius sciat evidenter, quod peccatum commiserit, & quod alias confessus non sit, & quod non habeat rationabilem causam negandi, non potest absolvere, quia tunc constat, absolutionem esse nullam: Suarez d. 32. f. 3. & alii: sed, ut bene Tambur. rarissima est talis evidentiâ, ideoque regulariter videtur danda absolutio.

CAPUT III.

Quid de obligatione admittendi, & docendi pœnitentem?

VIDENDUM, Quis Confessarius, & Quoties teneatur admittere pœnitentem ad confessionem, ejusque ignorantiam docendo, ac monendo tollere? Sit

§. I.

Quid de Confessario admittente Pœnitentem ad Confessionem?

DICO primo: Parochus, aut alius habens ex officio curam animarum, regulariter tenetur sub gravi admittere subditum ad confessionem toties, quoties subditus vult ei confiteri: Doctores communiter cum Suarez d. 32. f. 1. n. 4. contra Med. Armil. Reginal. & alios paucos. Ratio est, quia Parochus tenetur ex justitia ministrare Sacramenta suis subditis, ideoque dicitur Confessarius ex officio: ergo regulariter toties tenebitur, quoties subditus petierit ei confiteri. Dixi *Regulariter*; nam non peccat, si tunc temporis detineatur gravioribus negotiis, ita ut nequeat illius confessionem excipere; neque,